

tamquam validissimo, & impenetrabili scuto maniat
adversus dæmonis jacula. At recentiores ad effectum ip-
sius sacramenti aspicientes, confirmationem appellaverunt
quoniam in hoc sacramento datur gratia per quam
fortior quilibet, & firmior esse valet ad pugnam cum
dæmone sustinendam: & idcirco merito confirmatio dicitur,
quia per illam firmior efficitur. His ergo suppositis,
facile probabimus confirmationem esse sacramentum con-
ferens gratiam, quod à solis Episcopis ministrari potest.
In Actis Apostolorum, cap. 8. legimus, quod cum Apo-
stoli qui erant Hierosolymis, audissent quia Samaria recepit
verbum Dei per prædicationem Philippi diaconi, miserunt ad
eos Petrum, & Joannem. Qui cum venissent oraverunt pro
ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quem-
quam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in no-
mine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, &
accipiebant Spiritum Sanctum. Ecce, hic videtur ad im-
positionem manuum Apostolicarum, Spiritum Sanctum
super jam baptizatos descendisse. Unde convincitur, con-
firmationis sacramentum gratiam suscipientibus conferre,
quoniam hoc modo per impositionem manuum ora-
tioni conjunctam Apostoli tunc conferebant confirma-
tionem, sicut illum locum plures sacri doctores, & vetus-
tissimi interpretantur: & Summi Pontifices sancti simul,
& docti, & antiquitate reverendi, sic illum locum de-
clarant: & Concilii generalis definitio de confirmatione
locum illum esse intelligendum docent. Quæ omnia
mox subjiciemus. At (sicut in principio hujus operis do-
cuius) ille pro verò, & indubitato sacre scripturæ sen-
su recipiendus est, quem Ecclesia nobis pro vero sensu
scripturæ dederit. Nam sicut ad eam spectat scripturas
sacras à profanis distinguere, ita ad eam spectat verum
scripturæ sensum à falso separare. Cum ergo Ecclesia nos
docet illum scripturæ locum de confirmatione, aut
frontis consignatione esse intelligendum, non est quod
amplius de illo dubitemus. In illo autem loco aperit
sine dicitur, per manuum impositionem Spiritum Sanctum
conferri: ergo per confirmationem præstatur gratia
noviter confirmato. Quod autem in illo loco Actorum
Apostolicorum nulla sit mentio de unctione chrisma-
tis, sed de sola manuum impositione, nihil movere debet:
quoniam & si hoc ibi subiceatur, nihilominus tamen cer-
tum est Christum ita jussisse, ut confirmandus chrismate
ungeretur, & Apostolos ita fecisse, ut Christus illis præ-
ceperat. Nam Fabianus Papa, & Martyr in epistola ad
Orientales Episcopos, reprehendens eos Episcopos, qui
non quolibet anno in feria quinta, quæ dicitur esse in
Cena Domini, consueverunt chrisma, sed chrismate duo-
rum, aut trium annorum sæpenumero utebantur, sic ait:
Errant enim qui talia excogitant, & mente vesana po-
tius quam recta sentiunt. In illa enim die Dominus Je-
sus postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eor-
um pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri
acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma consicere do-
cuit. Ipsa enim lavatio pedum nostrorum significat bap-
tismum, quando sancti chrisma unctione perficitur,
atque confirmatur. Hæc Fabianus Papa. Quem Luth-
erus nec velut recentem, aut trecentenarium (ut solet)
rejecere potest, quoniam ante mille & ferme trecentos
annos sub Decio Imperatore martyrio coronatus est. Præ-
terea in eodem libro Actorum Apostolicorum, cap. 19.
reperimus iterum à beato Paulo simile quid fuisse factum.
Hic enim cum discipulos quosdam solo Joannis bap-
tismo baptizatos reperisset, illos vero bap-
tismo in nomi-

ne Jesu baptizavit, quo facto imposuit illis manus, &
venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur lin-
guis, & prophetabant. Ecce, iterum vides gratiam per
manuum impositionem dari. Quod si gratia infallibiliter
ibidem confertur sub aliquo signo sensibili exterius ap-
parente, nil obstat quin sacramentum dicatur. Sed hic
unum adverte, quod nunquam illa manuum impositio
facta est nisi per solos Apostolos, & nunquam reperie-
tur ab aliis discipulis facta: unde & sacri, & vetusti
doctores colligunt hoc sacramentum non posse ab aliis
quam ab Episcopis conferri, quoniam Episcopi facce-
dant Apostolis, reliqui vero presbyteri representant
discipulos, & illis succedunt. Hoc autem testimoniis
sacrorum doctorum, & veterum comprobare oportet.
Damascus Papa, in epistola de Episcopis sic ait: „ Quod
„ autem solis Apostolis eorumque successoribus proprii
„ sit officii tradere Spiritum Sanctum, liber Actorum
„ Apostolorum docet, præsertim cum nullus ex septua-
„ ginta discipulis, quorum istis (de presbyteris loquitur)
„ in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum Sancti
„ Spiritus per manus impositionem (ut prædictum est)
„ tradidisse. “ Hæc Damascus Papa, doctus simul &
sanctus, qui ante mille & plusquam centum annos obiit.
Innocentius Papa, homo ejusdem farinae cum Damaso,
quoniam sanctus, & doctus fuit, in epistola ad Decen-
tium Egubinum Episcopum, cap. 3. sic ait: „ De con-
„ signandis vero infantibus, manifestum est ab alio fieri
„ quam ab Episcopo, non licere. Nam presbyteri licet
„ sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non ha-
„ bent. Hæc autem Pontificibus solis debent, ut vel
„ consignent, vel Spiritum Paraclætum tradant, non so-
„ lum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum illa
„ lectio Actorum Apostolorum, quæ asserit Petrum, &
„ Joannem esse directos, qui jam baptizatis tradent
„ Spiritum. Nam presbyteris, seu extra Episcopum, seu
„ præsentem Episcopo, cum baptizant, chrismate bap-
„ tizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit con-
„ secratum: non tamen frontem ex eodem oleo signa-
„ re, quod solis debetur Episcopis, cum tradant Spiritum
„ Paraclætum. “ Hæc Innocentius. Ex istis verbis
patet, confirmationem, sive consignationem conferri gra-
tiam suscipienti: & talem confirmationem non posse ab
alio, quam ab Episcopo conferri. Et dicit id esse non
solum ex consuetudine Ecclesiastica, sed ex lege divinâ
quæ in Actis Apostolorum fundatur. Idem sub eisdem
ferme verbis, quibus Damascus, dicit Leo Papa, hujus
nominis primus, in epistola ad universos Germaniæ, &
Galliæ Episcopos, quæ est in ordine sexagesima sexta.
Videat qui volet, quoniam in volumine Conciliorum
generalium inserta sunt hæc Leonis epistola. Melchisedes
Papa, & Martyr in epistola quadam ad Hispaniæ Episco-
pos, expressius hujus sacramenti virtutem explicat, sic
inquit: Spiritus Sanctus, qui super aquas bap-
tismi salutariter descendit illapsus, in fonte plenitudinem tri-
buit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præ-
statur ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætas victu-
ris, inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in
baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confir-
mamur ad pugnam. In baptismo abluiamur, post bap-
tismum roboramur. At si continuo transitis sufficiens
regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt
confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in
pace beati sæculi recipiendos: confirmatio autem armat,
& instruit ad agones mundi hujus, & prælia servandos.
Qui

Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia im-
maculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte: quia
non potest peccare post mortem. Hæc Melchisedes Papa.
Deinde Eusebius Papa, qui hunc Melchisedem in Ponti-
ficatu præcessit, quique sub Diocletiano pro Christi no-
mine gloriosum sustinuit martyrium, in epistola tertia,
quæ est ad Episcopos Tuscæ, & Campaniæ, de hac re
apertius reddit testimonium, sic inquit: Hæretico om-
nes quicumque Dei gratia convertuntur, & in Sanctæ
Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ec-
clesiæ regulam tenentes, per manus impositionem recon-
ciliari præcipimus. Manus impositionis sacramentum
magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici
non potest, nisi à summis sacerdotibus. Nec tempore
Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis, legitur,
aut scitur peractum esse: neque ab aliis (sicut jam dictum
est) quam ab illis, qui eorum locum tenent, un-
quam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præ-
sumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec in-
ter Ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. Hæc
Eusebius Papa, & Martyr. In quibus duo sunt anno-
tanda, quæ nostro proposito deservunt. Primum quid-
em ait, confirmationem esse sacramentum, quod Lu-
therani negant. Deinde dicit, illud non nisi ab Episco-
pis posse conferri, quod negavit Joannes Vicleph. Ur-
banus Papa, & Martyr Apostolorum temporibus vicinus,
in epistola de communi vita, & oblatione fidelium, ad
omnes Episcopos scripta, sic ait: Omnes fideles per ma-
nus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post
baptismum accipere debent, ut plene Christiani inve-
niantur: quia quam Spiritus Sanctus infunditur, eor
fidele ad prudentiam, & constantiam dilatur. Hæc Ur-
banus Papa, & Martyr, qui aperte asserit per confir-
mationem, aut manus impositionem Spiritum Sanctum
infundi. Clemens etiam Papa, & Martyr, qui quartus à
beato Petro fuit, in quarta epistola sua hoc dicit idem
circa finem epistolæ. Epistola autem istius habetur in
illo volumine, in quo omnium Conciliorum decreta con-
servata sunt, in principio illius voluminis. Quod au-
tem Hieronymus in libro adversus Luciferianos ait, esse
magis propter honorem sacerdotii, quam ex legis ne-
cessitate decretum, ut solus Episcopus per impositio-
nem manus Spiritum Sanctum conferat, hoc me non mo-
vet, nec quemquam movere debet: quoniam præstat
credere magis Damaso, & Innocentio, & aliis sanctis
perinde ac doctis, quos citavimus, quam soli Hierony-
mo, qui alias etiam opinatus est, inter presbyterum, &
Episcopum nullum esse ex lege divinâ discrimen. Nec
in hoc aliquid detrahimus Hieronymo (abit) nec pro-
pter hoc aliquid gloriæ illius deperit: quoniam ipsemet
beatus Hieronymus catholice (ut decet) sentiens ad eum-
dem Damascum Papam scribit, dicens se illam solam
velle tenere fidem, quam illam Romanus Pontifex, &
verus Petri successor docuerit. Nec etiam movere debet
factum beati Gregorii, qui scribens Jaguario Episcopo,
permittit ut presbyteri sacramentum confirmationis bap-
tizatis conferant: quoniam, ut ex illa eadem epistola patet,
ipse prius hoc illis presbyteris ne id facerent prohibue-
rat: quia tamen inde scandalum nasci cognovit, permi-
sit ut presbyteri illud conferrent ad scandalum, & ma-
jus aliud malum evitandum. Sic enim ex eadem episto-
la patet esse permissionem, non concessionem. An au-
tem male fecerit sic permittendo, vel non, ego non dis-
puto: non ad me spectat, qui hunc de casibus partitus

laribus non ago. Si tamen cogor sententiam meam pro-
dere, credo virum sanctum simul & doctum, neque er-
rare voluisse, neque id quod faciebat, ignorasse. Sed
jam opus est, ut de hoc Concilii definitionem audiamus.
Concilium Hispalense secundum, cui interfuit beatus
Isidorus, recensens ea, quæ presbyteris sunt interdicta,
& solis Episcopis reservata, capite septimo suorum De-
cretorum inter alia etiam annumerat confirmationem, di-
cens: Siquidem nec benedicere eis Ecclesiam, vel al-
taria consecrare, neque per impositiones manuum fide-
libus baptizandis, vel conversis ex hæresi spiritum tra-
dere, nec chrisma consicere, nec chrismate baptizato-
rum frontem signare. Hæc Concilium Hispalense. Præ-
terea inter quadraginta quinque articulos Joannis Vicleph
in Concilio Constantiensi damnatos, is unus vi-
gesimo octavo loco constituitur, sub his verbis: Con-
firmatio juvenum, & clericorum ordinatio, locorum con-
secratio, reservantur Papæ, & Episcopis propter cupi-
ditatem lucri temporalis, & honoris. Qui articulus cum
aliis ejusdem Joannis Vicleph ibidem una super omnes
lata sententia damnatus est. Postremo hanc hæreticam
assertionem damnat Concilium Tridentinum sub Paulo
tertio celebratum, sessione septima, canone primo, de
Confirmatione, sic inquit: Si quis dixerit confirma-
tionem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non po-
tius verum, & proprium sacramentum, aut olim nihil
aliud fuisse quam catechesim quamdam qua adolescen-
tiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia expo-
nebant, anathema sit. Et rursum canone secundo ait: Si
quis dixerit injuriosum esse Spiritui Sancto eos, qui sacro
confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, ana-
thema sit. Et iterum canone tertio inquit: Si quis dixe-
rit sanctæ confirmationis ordinariæ ministerium non
esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdo-
tem, anathema sit. Hactenus Concilium Tridentinum.
Sed quia in illius decretis nihil de effectu hujus bap-
tismi dicitur, oportet addere Concilium Florentinum
sub Eugenio quarto celebratum quod in definitione fi-
dei data Armenis, de confirmationis sacramento dis-
cens, hæc ait: Effectus hujus sacramenti est, quia in
eo datur Spiritus Sanctus & robor, sicut datus est Apo-
stolis in die Pentecostes. Ut videlicet Christianus audacter
Christi confiteatur nomen. Ad eoque in fronte, ubi
verecundie sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi
nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, qui
Judæis est scandalum, Gentibus autem salutis, secundum
Apostolum (1. Cor. 1.) propter quod signo crucis sig-
natur. Hæc Concilium Florentinum. Extant & alia Con-
cilia, quæ nostro proposito maxime favent, videlicet,
Carthaginense tertium, & quartum, & Toletanum 1.
cap. 20. & Braccarense primum, cap. 37. & hæc Con-
cilia, quia provincialia sunt non fuit opus ea integre refer-
re, postquam jam generalia Concilia protulimus. Unum
solum referre volo dignum quidem annotatione, quod
refert Eusebius Cæsariensis, libro Ecclesiasticæ Histo-
riæ, cap. 33. de Novato hæretico, dicens ea, quæ bap-
tismum sublevari solent non fuisse in eo solemniter ad-
impleta, nec signo chrisma illam fuisse confir-
matam, & ob eam causam nunquam potuisse Spiritum
Sanctum promereri.

CONSILIUM.

DE hac re unam solum invenio hæresim, quæ nunc recens orta est, & à Luthero primo illius parente inventa, quæ asserit, nullum esse discrimen inter consilium, & præceptum: dicit enim Lutherus, omnia, quæ Catholici Doctores vocant Evangelica consilia, esse divina præcepta, non minorem vim ad obligandum habentia, quam reliqua omnia divina præcepta. Sed de hac hæresi nihil in præsentiarum disputare volo, quoniam inferius in titulo De præcepto de hac re agere decrevi. Ad illum ergo locum mitto lectorem.

CONTRITIO.

Ecce iterum nobis occurrit Lutherus, qui prælo est, ut omnes bene agere volentes impediatur, & à bono opere deterreat. Is enim ait, contritionem & peccati detestationem, quæ ab horrore gehennæ incipit, esse peccatum: tantum abest ut illum probare velit. Ut autem ejus insana mens omnibus pateat, verba ejus referam. Contritio (inquit) quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, scditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis: hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem. Hæc Lutherus. Ex quibus duo colliguntur Lutheri errores: Unus, quo damnatur contritionem, quæ oritur ex consideratione & odio gehennæ, & dicitur talem contritionem esse peccatum. Alter, quo dicit, non oportere ad parandam veram contritionem, discutere & colligere omnia peccata, recogitando gravitatem, multitudinem & scditatem eorum. Primo ergo manifeste errat damnans contritionem, quæ oritur ex consideratione & odio gehennæ: quoniam & si talis peccati detestatio, quæ ex solo gehennæ odio oritur perfecta & meritoria non sit, non tamen ideo est mala. Nam si talis peccati detestatio mala est, aut talem malitiam habet ex se ipsa, aut eam contrahit ex causa unde oritur, videlicet odio gehennæ. Nullus est tam demens, qui dicat talem detestationem peccati esse malam ex se, quoniam tunc quocumque sine præfixo esset mala: ita ut etiam si talis detestatio fiat propter Deum, sit futura mala. Illa enim operatio, quæ ex natura sua mala est, qualemcumque finem respiciat, mala erit. Quia enim velle futuri malum est, propter quemcumque finem illud fiat, semper male fiet. Cum ergo talis detestatio peccati non sit mala ex se, oportet ut sit mala propter causam unde oritur, videlicet propter odium gehennæ. At odium gehennæ non est malum. Potest enim quis licite odisse gehennam, quoniam ad hoc ipsum inclinatur natura etiam non vitata. Adeo enim tenaciter inheret naturæ illud gehennæ odium, ut profusus gehennam diligere nequeat. Quod si detestatio peccati ex se non est mala, nec odium gehennæ ex se est malum, qui sit, ut detestatio peccati, quæ ex odio gehennæ oritur, sit mala? Præterea, si talis detestatio peccati sit mala, sequitur inde timorem Dei servilem esse malum: quoniam constat talem peccati detestationem procedere ex timore servili. Verum hoc Lutherus concedit, ideo hoc expugnare oportet: quofacto, de Luthero utrobique triumphabimus. Antequam tamen eum aggrediamur, oportet bene scire de qua re contra eum pugnare velimus. Pro quo admonere expecto dupliciter contingere posse, ut aliquis timore pœnæ

fugiat peccatum; fieri enim potest ut quis sic peccatum timore pœnæ fugiat, ut si pœnam minime imminere conspiceret, peccatum nunquam relinqueret. Et iste quamvis peccati opus effugiat, peccandi tamen voluntatem retinet. Quapropter eum, qui sic timore pœnæ peccatum detestatur, male agere dicimus, & in hoc non est verus Dei timor etiam servilis: quoniam qui vere Deum timet etiam timore servili, ab omni peccato declinat. Unde B. Ambrosius. sermon. 15. super Psalm. 118. sic ait: „Carnes animæ sunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor domini, & judiciorum ejus, & servituti redigat. „ Quod si carnes istæ rejiciuntur clavos divini timoris, haud dubie dicitur: (Genf. 6.) Non permanebit spiritus meus in hominibus, quoniam carnes sunt. Nisi igitur affigantur cruci hæc carnes, & configantur clavus à timore domini, non permanebit in his spiritus Dei. „ Hæc Ambrosius. De hoc ergo timore, & de hujusmodi peccati detestatione, non disputamus adversus Lutherum: quinimo convenit inter nos de hac re. Aliter contingit detestari peccatum timore pœnæ: sic videlicet, quod timore pœnæ, & peccati opus, & peccandi voluntas profusus abjiciatur. Contingit enim ut quis consideret gehennam, & gravissimam ejus pœnam, quam maxime odit, & inde ascendat ad considerationem Dei, qui potest talem pœnam infligere, & sic considerans timet Deum velut potentem talem pœnam infligere. Et hic timor Dei dicitur servilis, quando timetur Deus propter solam ejus potentiam. Et hunc ut nos habeamus, & persuadet & incitat Dominus ipse, qui dicit: (Matth. 10.) Eum timere, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Deinde peccator hoc timore percussus progreditur ad considerationem peccati sui, quod causa est ut talis pœna irrogetur peccatori: quapropter considerat, quanta sit peccati gravitas, quanta ejusdem scditas, quanta etiam enormitas, quæ talem exigit pœnam. Ex consideratione tandem hujus gravitatis & scditatis pervenit, ut absolute & simpliciter sic fugiat peccatum, quod nulla in eo peccandi maneat voluntas: sic videlicet, quod etsi jam pœnam nunquam fore infligendam certo sciret, nunquam peccare vellet: quoniam jam peccati enormitatem plene agnovit, ad quam tamen cognoscendam ex consideratione & odio pœnæ surrexit. Talis ergo detestatio peccati, quæ (ut patuit) ex timore Dei servili oritur, & ex consideratione, & odio gehennæ procedit, bona est. Talis etiam timor Dei servilis bonus est, immo donum est Spiritus Sancti: quod patet ex eo, quod proxime citavimus Ambrosii testimonio: „ Nisi (inquit) affigantur cruci hæc carnes, & configantur clavus à timore domini, non permanebit in his spiritus Dei. Vides hic timorem domini pertinere ad spiritum Dei. Sed quod de timore servili loquatur, convincitur ex eo, quod parum infra in fine ejusdem sermonis ait: Ille enim, inquit, dignus est qui habet Christi timorem, ut crucifigat carnale peccatum. „ Hunc timorem sequitur charitas. „ Hæc ille. Ex cujus verbis patet, aliquem esse timorem domini bonum ante charitatem, quod tamen negat Lutherus: per quem timorem expellitur peccatum. Nec illum qui sic peccatum ex illo timore deserit Ambrosius reprehendit: quinimo laudat. Præterea, si ille timor Dei servilis malus est, quis est ille timor qui est initium sapientiæ? Non certe timor filialis: quoniam iste posterior est ipsa vera sapientia, cum ex charitate oriatur, non autem charitas ab illo. Qui sic ergo ut malus sit, qui torius boni initium est, & primus gradus ad virtutem capendam? Rursum David hoc timo-

more fuit à somno peccati excitatus, neque in hoc reprehenditur, quinimo laudatur. (Psalm. 110.) Nam & peccatum illi dimissum est per hanc detestationem: tantum abest ut faceret magis peccatorem, prout Lutherus ait: Cum enim Nathan Propheta conminatus esset David ex parte Dei afflictiones & angustias pro peccato commisso, David peccatum agnosces ait: (2. Reg. 12.) Peccavi. Et Nathan Propheta statim subjunxit: Dominus quoque transfudit peccatum tuum à te. Cum etiam timore illo fuerit excitatus, ipsemet David testatur, dicens (Psalm. 17.) Circumderunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumderunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. Deinde Esaias Propheta ait: Esai. 26.) Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ conceptit, cum appropinquaverit ad partum dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus. A facie tua domine concepimus, & quasi paruribimus spiritum. Et ubi nos habemus, à facie tua domine, translatio. 70. dicit à timore tuo: & Hieronymus ait esse idem à facie tua, & à timore tuo. Propheta etiam Regius peccatores ad penitentiam excitat, hoc timore eos compungens: (Psalm. 7.) Nisi conversi fueritis (inquit) gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & paravit illum. Hunc etiam timorem incutebat peccatoribus Joannes Baptista, dicens: (Luc. 3.) Gevmina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Et paulo post: Jam enim facieris ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Et ut finem imponamus, quoties Christus Redemptor noster hunc timorem peccatoribus iniecit: Quoties eos per hunc timorem ad penitentiam inducere voluit? Nisi pœnitentiam (inquit Luc. 13.) egeritis, omnes simul peribitis. Per timorem etiam illius ultimi atque terribilis judicii excitat ad bonum. Nam cum de judicio differuisset, dixisset quæ illum diem esse incertum, subjunxit: Vigilate ergo, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. Vides hic aperte qualiter timore judicii compungit, ut ad bene agendum perducat. Quod si hoc malum esset (ut Lutherus ait) Saluator ipse non tam ex animo hoc persuaderet. Parabola etiam publicani nihil aliud præterit quam contritionem quæ per considerationem peccatorum, & considerationem enormitatis eorum paratur, bonam esse.

Nam de publicano illo dicit veritas quod descendit justificatus. Verum quare justificatus? Quia videlicet in templo orans, & longe stabat, neque audebat oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suam, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Quare non audebat oculos ad cœlum levare? Cognoscebat certe gravitatem & multitudinem peccatorum suorum, & ideo indignum se judicabat qui proprius accedere posset, aut oculos in cœlum levare: ideo percutiebat pectus suam, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Ecce vides contritionem hujus publicani quam paravit per discussionem, collectionem, & detestationem suorum peccatorum. Et per illam contritionem justificatus est, qui ante non fuerat justus: quoniam ipsamet veritas ait: (Luc. 15.) Amen dico vobis, descendit hic justificatus. Verum cum ascendisset in templum oraturus, non erat justus, sed descendit justus. Postremo illa filii prodigi parabola ad quid aliud spectat, quam ut doceat nos ex odio pœnæ ad Deum converti, talemque conversionem esse Deo gratam? Filius siquidem ille cum omnem substantiam quam à patre acceperat, male consumpserat, in tantam redactus est inopiam,

ut porcos pasceret: & tanta fame premeretur, ut cuperet saturari de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Ecce vides stimulum pœnæ gravis excitantem à somno peccati. Vide qualiter excitatur, quia cum fame periret, in se reversus, dixit: Quid autem fecit eum ad se reverti? certe famæ maxima quam patiebatur, fecit eum, qui extra se, & patrem suum abierat in regionem longinquam victoriam, ut rediret ad se & ad patrem suum, id est, ad considerationem suæ scditatis, & bonitatis paternæ. Felix necessitas, quæ illum ad bene agendum compulit. Ad se ergo reversus dixit: Quanti mercenarii patris mei abundant panibus, ego autem hic fame peres? Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius, &c. Quod autem contritio hujus bona fuerit, patet quoniam receptus est à patre, & datur illi stola prima, videlicet prima gratia qua per peccatum exolata fuerat, & gaudium fit cum eo, & merito, quoniam magnum gaudium fit in cœlo super uno peccatore penitentiam agente. Hic ergo filius etsi postmodum patrem diligebat, tamen initium totius suæ conversionis, & primus gradus ad illam dilectionem fuit cognoscere suam miseram conditionem, & statum in quo erat. Ad hæc autem cognitionem incitavit & impulit famæ quam patiebatur. Quid ergo obgannit Lutherus, & novum vult nobis condere Evangelium? Hæc enim tam aperta sunt testimonia, ut eum undique transigant. Sed jam opere præteritum erit, Ecclesiæ de hac re definitionem proferre, ut hostem undique concludamus. Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum sessione sexta, canone octavo, hæc ait: Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse & peccatores peiores facere, anathema sit. Et idem Concilium sub Julio tertio progrediens sessione tertia, cap. 4. hæc ait: Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat Sancta Synodus non solum non facere hominem hypocritam verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, & quamvis sine sacramento penitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento penitentia impetrandam disponit: hoc enim utiliter concussi Ninivite ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus penitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum penitentia abque bono motu suscipientem, gratiam conferre: quod nunquam Ecclesiæ docuit nec sensit. Sed & falso docent contritionem illam esse extortam & coactam, non liberam, & voluntariam. Postquam Concilium præteritum doctrinam de contritione dederat, ne quis contrariam impune audeat dicere sententiam, placuit illi contra similes audaces canonem late sententia statuere, qui quintus in ordine est, hæc verba habens: Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, scditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non

esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: deum illa esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit. Hactenus Concilium Tridentinum. In cuius verbis ambo Lutheri errores de quibus in hoc capite differimus aperitissime damnantur. De hac re scripsit ante quadraginta annos frater Stephanus Brulifer tractatum insignem de timore domini servili, adversus quandam innominatum prædicatorem, qui tunc temporis populo prædicans, eadem docere tentavit de timore servili, quæ nunc Lutherus docet. Scripsit etiam nunc Joannes Episcopus Rossensis in eo opere quod contra Lutheri captivitatem Babylonicam ædificavit: cui rei totum unum articulum videlicet sextum tribuit. Jacobus Latomus in opere quod pro asserione facultatis Lovaniensis contra Lutherum scripsit multo fustius quam Rossensis de hac re ractat. Alium autem non vidi.

CORRECTIO.

DE hac re est unus error dicens quod populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere, sed de hoc infra disputabimus in titulo de subditis.

CREATURA.

PRIMA de hac re hæresis est dicens creaturas ab alio quam à Deo esse factas. Verum hæc in plures adhuc sectas dividitur. Quidam enim dixerunt totum hunc mundum fuisse ab Angelis factum.

Et huius erroris princeps fuit Simon ille Magus, de quo in Actis Apostolorum fit mentio, quem secutus est Menander illius discipulus, & Saturninus, à quo Saturniani dicti sunt. Qui ait solos septem Angelos fecisse mundum præter conscientiam Dei patris. Et Cerinthus. Alii dixerunt creaturas factas esse à malo Deo. Hi enim (ut infra dicemus) duos posterunt Deos. Unum bonum, qui nihil rerum harum creaverit: alium malum, à quo omnes creaturas processisse dicunt. Huius hæresis auctores fuerunt hi qui appellati sunt Gnostici. Hos secutus est impius Manichæus. Augustinus tamen in libro de hæresibus cap. 46. de Manichæis loquens dicit illos asserere mundum fuisse factum à bono Deo, sed habere in se commixtionem mali. Sed Theophylactus Manichæos dicit asserere creaturam esse à malo Deo factam. Exponens enim miraculum illud quod est apud Joannem cap. 3. quando de quinque panibus satiavit dominus quinque millia hominum, sic ait: „Confundantur Manichæi dicentes quod panis & omnes creaturæ factæ sint à malo Deo: propterea si quis dederit eis panem, non accipiunt illum de manibus illius, sed procul quidem illum, abjici jubent: stantes autem & maledicentes ei qui dedit, dicunt: Qui seminavit te, dispergatur: & qui pinxit te, pinxatur carne, & similia. Confundantur itaque, dicentes quod boni Dei filii Christus panes multiplicavit. Nam si mala fuisset creatura, beatus Deus, illam utique non multiplicasset, ut taceam interim quod ipse panes comedit. Hæc Theophyl. Et Concil. Braccaren. l. c. 13. hoc idem tribuere videtur Manichæo, quod illi tribuit Theophylactus, sicut infra patebit. Eundem etiam errorem cum Manichæo docuit postea Priscillianus. Hæc ergo istorum omnium hæreticorum communis hæresis convincitur per id quod dicitur Genesis primo: *In principio creavit Deus caelum & terram.* Non ergo Angeli, aut aliæ virtutes. Et Salomon ait: (*Ecl. 18.*) *Creavit Deus*

ut essent omnia. Et Ecclesiasticus idem expresse asserit, dicens: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Verum hoc testimonio non vincitur Manichæus, quoniam dicit malum Deum esse æque æternum sicut bonum; quapropter illum Ecclesiastici locum de suo malo Deo interpretantur. Sed audiat Malachiam cap. 2. dicentem: *Numquid non Deus unus creavit nos? Ecce Manichæus Dei unitatem, & illum unum Deum creatorem omnium nostrum. Non ergo creaturæ sunt ab Angelis, ut Simon, aut Menander, aut Valentinus dixerunt: Non etiam à malo Deo, ut impius Manichæus dixit, & illius sectator Priscillianus. Sed quoniam Manichæus (ut alias dicemus) vetustæ testamentum rejicit, ad novum confugiamus instrumentum. Joannes de filio Dei loquens, cap. 1. ait: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et paulo post: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.* Et Paulus Apostolus ait: (*Heb. 3.*) *Qui autem omnia creavit, Deus est.* Et particularem sermonem de cibis alibi faciens, (*1. Tim. 4.*) reprehendensque eos qui ab illis abstinere docent, ait illos habere cauteriam conscientiam, qui prohibent habere, & prohibent abstinere à cibis quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione. Et 24. seniores procedentes ante thronum in Apocalypsi cap. 4. dicebant: *Dignus es domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Et Concilium Nicænum ad reprimeendam hæc Manichæorum insaniam adjecit in suo symbolo credendum esse in unum Deum factorem caeli & terræ, visibilibus omnium & invisibilibus. Denique, Concilium Lateranense sub Innocencio Papa huius nominis tertio postquam tres omnes summæ Trinitatis personas unicam esse substantiam dixerat, hæc verba subdit: *Unum universorum principium, creator omnium visibilibus & invisibilibus, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Hæc Concilium. Quæ verba habentur in volumine decretalium primo de sum. Trin. & fide cath. Deinde Concilium Braccarense primum cap. 13. sic definit: *Si quis dicit creationem universæ carnis non opificium esse Dei, sed malorum angelorum, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Hæc Concilium Braccarense. Contra Manichæos cum alias pluries scripserit Augustinus, tamen de hære signanter scripsit super Genesim contra Manichæos.*

Secunda hæresis quam ex priore Manichæus deducit, est quod creaturæ sunt malæ ex se & generatione sua, quia (inquit) à malo Deo creatæ sunt. Cui sententiæ postea subscripsit Priscillianus. Hæc autem hæresis adeo est aperta, ut non esset opus adversus eam pugnare, nisi contra homines effrontes & duræ cervicis ageremus. Sed suo eos telo configamus. Omnis creatura ex se bona est, quia (ut jam proxime convicimus) omnis creatura ab uno Deo, qui summe bonus est, facta reperitur. Præterea, descripta per Moysen omnium rerum creatione, statim addidit: (*Gen. 1.*) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quid ergo insanit Manichæus, dicens ea omnia esse mala? Rursum, Sapiens ait: (*Sap. 2.*) *Diligis domine omnia, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Sed si creaturæ ex se malæ essent, Deus id quod malum est, diligeret. Sed jam ad testamentum novum recurramus oportet,

quia contra Manichæos agimus. Paulus ait in priore ad Timotheum epistola cap. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Postremo, Concilium Braccarense primum cap. 7. suorum decretorum sic definit: *Si quis dicit diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus, sed dicit eum ex tenebris emerisse, non aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium abique subsistant in aia mala, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Et cap. 8. iterum: *Si quis credit quod aliquas immundas creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, siccitates ipse diabolus auctoritate sua facit, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Hæc Concilium Braccarense.

C R U X.

DE hac re est unus error qui nullo pacto permittit crucem adorari, sed dicit esse idololatram eum qui crucem aut adorat, aut quomodolibet reveretur. Sed de hoc errore jam supra disputavimus in titulo de adoratione, errore primo.

FINIS QUARTI LIBRI.

F. ALFONSI DE CASTRO

ZAMOREN. MINORITÆ.

ADVERSUS HÆRESES.

LIBER QUINTUS.

D E C I M A E.

DECIMAS non esse sacerdotibus solvendas quidam hæretici docuerunt: quamquam ad hoc docendum non eadem ratione omnes persuadebantur. Fuerunt enim quidam dicti Pseudoapostoli, quorum dux & magister fuit quidam Gerardus Sagarellus de Parma circa annum domini 1260. qui captus, & judicio Ecclesiæ damnatus, igni traditus est. Hi ergo Pseudoapostoli (ut Guido ait) dixerunt decimas non debere dari sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ, quia non sunt pauperes sicut Apostoli. Post istos successit in eodem errore Joannes Vvicleph, alia ratione motus. Dicebat enim quod decimæ sunt puræ elemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre. Sed hæc sententia convincitur esse hæretica per hoc quod nulli licitum est transgredi præceptum divinum. Præceptum autem divinum est de decimis solvendis. Omnes (inquit Deus Levit. 7.) decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, domini sunt, & illi sanctificantur. Hæc autem decimæ multiplici ratione præcipiuntur à Deo. Prima ut sit cibus in domo domini. Sic enim per Malachiam Prophetam cap. 3. dominus ait: *Inferre omnem decimam in horreum meum ut sit cibus in domo mea, hoc est ad sustentationem eorum qui in domo mea sunt.* Juxta quod dictum fuerat in lege (*Num. 18.*) *Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti, quas in usus & eorum necessaria separavi.* Secunda causa est, ut serviant in templo, & orent Deum pro populo. Et hæc causa assignatur in libro Numerorum (*Ibidem*) *Viliis (inquit) Levi dedi omnes decimas pro ministerio quo serviunt*

mihî in tabernaculo fœderis, ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum: solis filiis Levi in tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi. Cui consonat id quod Apostolus ait: (*1. Cor. 9.*) *Qui altario deserviunt, cum altario participant.* Tertia causa est, ut vacent legi Dei, & populum doceant. Quæ causa describitur in secundo libro Paralipomenon cap. 31. ubi dicitur: *Præcepit etiam habitantibus in Hierusalem, ut darent partem sacerdotibus & Levitis, ut possent vacare legi domini.* Cui consonat Paulus dicens: (*1. Cor. 9.*) *Si seminamus vobis spiritualia, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Quarta causa est pauperum egestas. Non enim propter solos ipsos sacerdotes decimæ illis redduntur, sed etiam propter pauperum necessitatem. Unde Augustinus ait: „Decimæ ex debent, to requiruntur. Qui eas dare noluerit, res alienas invadit: & quanti pauperes in locis suis ubi ipse habitat, illo decimas non dante, mortui fuerint, tantorum hominum, micidiorum reus ante æterni judicis tribunal apparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam, suis usus reservavit. Hæc Augustinus. Ecce vides Deum sapissime præceptum de decimis solvendis repetere. Non sunt ergo puræ elemosynæ, cum illo jure debeantur. Quid ergo Pseudoapostoli & Vvicleph adversus Dei præceptum docere tentant? Sed dicunt Pseudoapostoli: Pauperes non sunt sacerdotes: habent unde alias vivant: non ergo eis debentur, quia jam panis sufficiens est in domo domini. Esto. Sed numquid hæc sola fuit causa ut decimæ illis darentur? Sed istis patrocinatur Vvicleph dicens, multi ex eis nec serviunt in templo, nec Deum pro peccatis populi orant, sed ipsi peiores populo sunt, nec plebem